

- A** ex se ipso conseruari non potest, sed beneficio influentis calidi fouetur, augeturque. cuius imprimis rationem habere oportet: Constat sane hæc ratio duobus potissimum capitibus. Nam primò procurandum est, vt plurimum boni sanguinis, & spiritus gignatur: & illi geniti, boni conseruentur, alterum aut huiusmodi substantia opportunè intrò ad interna uiscera, & extra ad exteriores partes, & deniq; per uniuersum corpus, ubi necessarius est illius usus, ducatur. Cæterum sanguis bonus, & plurimus gignitur ex bona nutritione: spiritus uerò ipse bonus, ex bono sanguine, at sanguis ut nutrimento regignitur, & augetur, sic etiam conseruatur: cum alioqui ueluti ignis consumptis lignis, sponte absumatur, caloris insiti ui. Accipit, & à spiritu uigorem, unde natura sanguinis, spiritusq; uasa, quæ per corpus sparguntur, contigua ferè semper esse uoluit, ut ex sanguine, spiritus nutrimentum sibi moliretur, & sanguis spiritalem uim uicinitate arteriarum, facile susciperet. Porro spiritus, aeris externi consortio eget, non ut eo tanquam re simili alatur, quando quidem id quod ex sanguine, & uniuersis humoribus gignitur, euaporetque, nequit ex simplici aere, aut certè exiguam mistionem aliorum elementorum recipiente, nutriri, sed ut illius beneficio contineatur in corpore, & refrigeretur, nam cum calidum innatum, suapte natura ut ostendimus, extra feratur, aliquid extrinsecus postulat, quod illius motum coerceat, ipsumque intus contineat. Id quod præstat externus aer, quo fruimur, nam ut flamma in ardente aere dissoluitur, extinguiturque, sic nostri spiritus, calidumq; innatum, promptè expiraret, si aer, eius naturæ semper esset, ut illa euocare, & ad se allicere posset, quod ostendit aer laconici, qui etiam sine sudore perimit, si quis contèdat diu in eo uiuere, eò quod spirituosa substantia, in illo effundatur, expiretq;. Postulat ergo innatum calidum moderatam extrinsecus refrigerationem qua intus contineatur, à maxima autem extinguitur. Iam uerò cum caloris officio fuliginosa excrementa in corpore gignantur, quæ puram, benignamq; spirituum naturam, nec non temperiem corporis mistione, & uehementi calore corrumpunt, ideo extra emitti illa oportuit, nimirum in id, quod ea recipere est aptum, qualis est aer arbiens, in quo uiuimus. Ac quoniam (ut rectè inquit Galenus) oportet cor perpetuo feruere, satis autem est reliquas partes non frigere, ob id opus fuit quoq; aere, ex quo frigidiorè substantiâ attrahamus, qua feruor ille temperetur, hinc respiratio, arteriarum motus, corporisq; uniuersi transpiratio à natura animali sunt comparata, vt illud vndiquaq; frui posset externi aeris consortio. Nam qui in corde est spiritus, & calor, respiratione, qua immittitur aer, & in illum emittitur aere, & fuliginosum excrementum seruatur: qui uerò in arterijs est, illarum motu quo expelluntur eadem excrementa, & intromittitur aer, incolumis perseuerat, Vt enim inquit Galenus, ignis ventilatione accenditur, ita cordis, arteriarumq; motu duplici, tanquam propria, naturaliq; exercitatione, calor instauratione, & fouetur: qui uerò in singulis animalis partibus refidet calor, respiratione, cordis participatione, qua aerem sentiunt in cor attractum ob uicinitatem, tum etiam arteriarum propriarum motu, & transpiratione, seruatur, roboraturque, Ac vt certum est calorem partium respiratione, & pulsu arteriarum regi, ita illud argumento est, transpiratione opus esse, quòd constricta cute intus calor & spiritus accendantur, & corrumpantur: ea uero nimis laxata, & aperta, eadem exhalent: tanquam opus sit moderata illa diffatione, quam per corporis externas partes fieri experimur. Iam uero mouetur innatus calor extra (vt diximus) suapte natura, & à partibus externis, dum agere uolunt, necnon ab internis eum impellentibus, vt in ira, & gaudio fieri contingit: præterea à partium externarum calore: intrò uerò ducitur ob actionem internarum partium, & ocium externarum, aut earundem imperium, aut quod extrinsecus repellatur, aut quod desit subiectum: uel à cordis passionibus, uel à calore internorum uiscerum: per uniuersum uerò corpus æqualiter spargitur, corporis motu, aut dum uitalem animæ partem validius concitamus, vt in ira contingit: deniq; ab illis causis, quas paulo antea diligentius sumus prosecuti: obruitur uerò materiæ copia, inopia uerò alimenti languescit, redundantibus autem in corpore excrementis nunc accenditur, nunc suffocatur, pro natura, & copia illorum. Quamobrem is optimus caloris natiui custos fuerit, qui rectè nutriet corpus, & partes singulas moderatè exercebit: ne nimio ocio, desinat ferri ad partes quiescentes: neue nimio labore dissoluatur illius substantia. Qui enim alimentum suppedabit idoneum, & rectè calorem mouebit, simul is efficiet, ut excrementa nequaquam obesse possint.

Quonam modo Somnus à calido natiuo fiat. Cap. XI.



SOMNUM fieri à calido natiuo influente, iam docere aggredior: id quod ostendit primum, somni ipsius natura, & generatio: quoniam enim per somnum ociantur omnes sensus: communem causam esse necesse est, qualis est hæc: & quoniam subito fit, subitoque soluitur, & rursus redit, & abit, minimo temporis momento, ob id constat, non nisi motu, id fieri posse: nulla autem ex causis necessarijs ad sensum est, imo nihil aliud in corpore est, quod aptum sit, tam celeres subire mutationes, quales somnus, & uigilia requirunt præter ipsum innatum calidum, quod suapte natura mobile existit: & vt commune instrumentum, omnibus partibus seruit, ita vt ab illis alliciat, cum illa-

Ioannis Argent. de Somno & Vigilia.

B 3 rum